



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

Matthaeucci, Augustín

Francofurti Ad Moenum, 1711

Cap. XV. Beneficia Ecclesiastica gratis conferenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40684

Resp. Affirmativè. Primum enim, quod est in beneficiatis, est esse mancipatos divinis Officiis, & habere onus colendi Deum recitatione Breviarii; sustentatio autem, quæ datur est de secundario; nam stipendium datur propter ministerium. Unde omittens officium peccat mortaliter, quia non implet onus susceptum colendi Deum. Quod patet ex eo, quod restitutio fructuum sit etiam pœna; Atque ita supponit culpam, quæ nascitur ex non impleta obligatione colendi Deum. Quod si non restituat, alterius culpæ reus est, quia retinet rem non suam.

CAPUT XV.

Prop. XXII. ab Alex. VII. Sc.

Beneficia Ecclesiastica gratis conferenda.

1. PROP. 22. *Non est contra justitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod sibi conferre non tenebatur.*

Lib. 2. cap. 27. videmus, quibus beneficia Ecclesiastica sint conferenda, & cap. 26. Simoniam committi, dum aliquid pro atsequendo beneficio Ecclesiastico confertur, vel recipitur; hinc idè est Confessarius breviter instruendus, Auctores propositionis docuisse, Collatorem, seu Distributorem beneficii aliquid sine iniustitia posse ab eo, cui per ipsum confertur, exigere, & accipere, quorum doctrina in allegata propositione ab Alex. damnatur: propterea

2. Quæritur, quare Collator beneficii

nil exigere, accipereve justè possit ab eo, cui beneficium confert?

Resp. Quia vel iste, cui confertur, habet jus proprium ad accipiendum beneficium sic, ut ei absque injuria non possit non conferri, vel tale jus non habet, adeò ut Collator absque ipsius injuria potuisset alii beneficium dare; in primo casu, jam Collator tenetur ipsi determinatè beneficium conferre sine omni alio pretio, aut compensatione: in secundo verò, quamquam ad beneficium jus non habeat, habet tamen jus fundatum, tum in legibus positivis Ecclesiæ, tum in æquitate naturali, ut, supposito, quod ipsi detur beneficium, id conferatur gratis, ergo Collator beneficii nullum jus habet exigendi aliquid; & quatenus exigit, contra justitiam peccat, à Confessario non absolvendus, nisi restituerit, aut ad minus (supposita de præfenti impotentia) id sincerè promiserit; Illung. tr. 4. disp. 2. qu. 1. art. 3. §. 2. n. 18.

3. Sed quæritur, quinam censentur habere jus proprium ad beneficia?

Resp. Omnes, qui per examen magis idonei reperiuntur, juxta Trid. Sess. 24. cap. 18. de ref. & constit. B. Pii V. incip. in Conferendis, apud Quagran. sum. verb. Beneficiorum Parochial. collat. nam, non est dubium, quemlibet per examen magis idoneum repertum, jus propriè dictum subit, & in pacto per admissionem ad examen inito, saltè implicitè, ut, si ipse fuerit magis dignus ad beneficium reputatus, id sibi conferretur; ac etiam in lege Pii irritantis collationem beneficii, minus digno factam, & concedentis magis digno jus appellandi ad Superiorem injuri Collatoris.

CA-